7 nolo cognoscas. Tum ego subridens. si uera inquam
dicis. satis hominem notificas; Sed ille quis est. quem
malis inequalibus. toxillis dissimilibus. oscillo oblon-
go. columna narium obliquata. pirula obtusa. pennulis
retractis. interfinio extante. colomellis prominentibus.
se uno aspectu notabilem prebet. Et ille. honestiorem
inquit mentis formam indecentiore indumento
nusquam ut arbitror. amiciuit natura. Sed nondum
tamen ollarum gibbos. spina acuta. palas subsidentes
uidisti. Et ego interscapulum inquam. non magis quam
suffragines eius uidi. Post hec autem lyricines et
tibicines audire iocundabar. Deerant autem liti-
cines. quos lituo cantare dicit iudex cesellius in lectio-
num antiquarum comentariis. Sed et sitycines deerant.
quos apud sitos idest sepultos canere solitos dicit
ateius capito in coniectaneis. Post cenam autem confa-
bulationibus in multiplici materia consumptis.
edificii formam admirari incepimus. In menianis
autem illis nichil egregie spectabile erat. preter

8
celii et penicille opuscula. Quibus inspectis. phalam
ascendimus. in qua arma diuersorum generum contemplari
libebat. Stabant autem inter hastilia. phalarice torno
facte. catee. quas et cateias et tentonos nominant. pila.
uenabula. lancee amentate. ferrate que trudes. et
acute cuspide conti. In thecis autem latentia intuebamur
spicula. et scorpiones in pharetris. arcus in choritis. mu-
crones in uaginis. pugiones in dolonibus. Gladiorum etiam
genera uidebamus. macheras. et frameas. spatas. et semispa-
tia. sicas. et secures. Parte uero altera. propugnatoria intue-
bamur. hinc peditum clipeos. equitum scuta. vn scetris
loreas. peltas lunares. parmas habiles. ancilia rotun-
da. inde ciliciis politas et tectas loricas ex circulis.
squamas ex laminis. Sed et cassides ex lamina. galeas
ex corio. Deerant tela. iacula. gladii quorum nomina
in historiis ueteribus reperiuntur hec. soliferrea. gesa.
spari. rumi. gestri. mesancule. rumpie. sibones.
uerutenses. dunacula. lingule. De quo genere. neuius
in tragedia hesiona. Si nemini gerere morem uidear